

# **Ephemerides d. Ioannis Halleri, quibus ab anno 1548 ad 1565 continentur, quidquid fere in utroque statu Bernae accidit, cum nonnullis aliis**

Autor(en): **Haller, Johann / Simlerus, J.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 5

PDF erstellt am: **16.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394598>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(\*) EPHEMERIDES

D. JOANNIS HALLERI,

Quibus ab anno 1548. ad 1565. continetur, quidquid fere in utroque statu Bernæ accidit, cum nonnullis aliis.

An. 1548.

Controversia Sacramentaria.

**D**Iu multumque hoc tempore, ut passim Germanicas alias, ita inprimis etiam hanc Ecclesiam Sacramentaria exagitaverat controversia, *Luthero* primum & *Zuinglio* (ut notum est) cœpta. Quamvis enim Ecclesia hæc ab ipsius Reformationis initio *Zuinglii* doctrinam secuta esset, tamen cum post obitum ejus & *Oecolampadii*, *Bucerus* suam de Cœna Domini sententiam retractasset, & plerisque per Germaniam Ecclesiis concordiam cum *Luthero* persuasisset, visa fuit quibusdam hujus Ecclesiæ Ministris concordia hæc acceptabilis; aliis vero qui videbant, quo ea tenderet, intolerabilis erat. Hinc ergo dissociati sunt animi passim per urbem & agrum. Res coram

(\*) Hosce Annales ecclesiasticos ex ἀντογράφῳ transscriptos amice nobiscum communicavit Vir præclariss. J. JAC. SIMLERUS, V. D. M. qui laudabili prorsus conatu in colligendis Magni BULLINGERI nostri Literis ac Responsis Theologicis, maximam partem ineditis, per plures jam annos strenue occupatur: De cujus vero consilii ratione plura propediem dabimus.

ram Magistratu sæpe acta & composita, sed tam sopiri nequivit, ut potius quotidie pro suggestu Ministri hac de re altercarentur, potius Senatus etiam totaque Civitas ita scinderetur, ut aliquando parum abesset, quin in Senatu contra se mutuo manifestis armis (nisi Divina prohibuisset clementia) insurrexissent. Fuit inter alia institutum quoque a Senatu, ut omnes Ministri jurejurando obligarentur ad doctrinam in Disputatione Bernensi receptam, ne qui contra hanc innovare quicquam tentarent. Hoc cum aliqui minime servare viderentur, tandem res eo devenit, ut aliqui dimitterentur hic a Ministerio, SIMON SULCERUS videlicet & BEATUS GERINGUS, qui hic Argentinam, alter Basileam concessere. Disputatio Accesserat etiam ad veterem contentio- de Potesta- nem Disputatio quædam Lausannæ a re ecclesia- doctis habita, de potestate Ministerii sica. Ecclesiastici, & quod Minister esset super omnes, & infra omnes reliqui homines. Quas propositiones cum aliqui hujus Ecclesiæ Ministri approbarent, alii non approbarent, Senatus commotus eos qui approbarant eas, ut dictum est, dimisit.

De Musculi Vocatione. Mense Julio cæpta est agitari causa MUSCULI. Is Ecclesiæ Augustanæ Minister fuerat. Cum itaque ego prius biennio Augustæ in Ministerio (a Tigurinis tantisper ipsis concessus) fuisset, ejusque pietas & eruditio mihi valde perspecta esset, isque paucis ante diebus propter INTERIM Cæsareanum receptum a Senatu Augustano, Augustam reliquisset, non dubitavi ipsum Senatui nostro commendare,

dare, ut sive ego manerem in hac Ecclesia, sive Tigurum redirem, haberent illi virum hunc eruditione & pietate præstantem, qui ipsorum Ecclesiæ non utilitati modo, sed magno etiam ornamento esse posset. Sed quoniam scripta illius in Matthæum videbantur nonnullis esse duriuscula, & resipere quoque Buceranismum, impetrari tum non potuit, ut accerferetur. Is itaque Tiguri interea, Basileæ, Constantiæ & Sangallitam aliquamdiu traxit.

Lectioem Theologicam hoc tempore sibi sumsit EBERHARDUS a RUMLANGO, quam prius habuerat M. *Bernhardus Telamonius*. *Telamonio* ergo utpote homini juveni Artium professio assignata est, *Artopæo* Linguarum.

Leges quoque Scholasticæ institutæ, quas vocant vulgo *die Schul-Ordnung*.

VI Augusti Constantiam Hispani fere obruerant. Itaque X. ejus mensis delectus hic fiebat militum, cum censerent omnes, eam urbem nunc commodissime in potestatem Helvetiorum redigi posse. Sed in spongiam abiit consilium hoc non importunum.

Helvetiorum Legatio de Concilio Tridentino. Mense Octobri XXI die, huc venerunt VII. Cantonum Legati, Lucernatium scilicet *Scultetus a Fleckenstein*, Urensium, Suitensium, Subsylvanorum, Tugiensium, Friburgensium & Solodorensium, petentes audiri a Diacosis. Quod ubi ipsis concessum, proposuerunt; In confesso esse, *Concilium* nunc continuandum a Pontifice Maximo *Tridenti*, ad depositionem perniciosi schismatis in Ecclesia: Quod cum etiam Helve-

tiam invaserit, rogare se nostros, ut vel suis legatis ad Concilium missis, Concilii sententiam expectent, aut alias se illius determinationi subjiciant, quo tandem ex illo schismate liberati antiqua & Helvetica fide de novo concilientur animi, se enim quoque paratos recipere velle, quicquid in illo œcumenico Concilio fuerit conclusum. Eodem ipso die, quo hæc agebantur hic, alii iisdem de Cantonibus Legati hoc ipsum Tiguri agebant, qui uti hic nostri, quoniam magna pars Senatorum ab urbe aberat, responderunt: *Intellexisse eos ipsorum propositionem, & habere gratiam, sed in præsentiarum respondere ipsis non posse, propter absentiam Cos. & aliorum Senatorum; responsuros tamen brevi vel per literas vel per Legatos.* Itaque dimissi sunt. Tigurini quamvis bene congregati noluerunt tamen ipsis respondere quicquam sine conscientia reliquarum urbium Evangelicarum. Promiserunt ergo quoque se mox responsum duros. Mox illi eadem Basileæ & Schafhusii quæ Tiguri & hic egerunt. Intellecta hac propositione Urbes quatuor mense Novembri Tiguri conventum indixere. Tiguri convenere Urbes tres

Civitatum  
Evangelicarum  
Consultatio de  
hoc negotio.

Tigurum, Berna & Schafhusia; Legationem vicissim amplam mittendam de singulis conjunctim Urbibus ad VII. Cantones, qui exponerent illis clare & diserte, quid nos ad mutandam religionem permoverit, clarum scilicet & disertum Dei Verbum: Non posse ergo nos ab ea discedere, nisi (quod semper protestati sint) aliquis ex puro Dei Verbo aliud eos edocuerit. Et huic promisso se adhuc stare. Ceterum cum videant jam & experiantur, in præsentii Concilio

lio Tridentino res non geri ex Verbo Dei, non posse eos illud recipere, neque quemquam ad illud velle mittere. Interea cum ipsis pacem & fœdus firmiter servare velle, & rogare, ut ipsi vicissim hoc faciant. Basiliensibus videbatur hoc consultius, ut simpliciter, idque per literas, non per Legatos responderetur: Quicquid pium, liberum & Christianum Concilium statueret, hoc ipsos recipere velle. Isti videbantur concedere in determinationem Concilii, & tantum effugia quærere in vocibus, *pii, liberi, & Christiani Concilii*. Cum itaque in sententia pergerent, alius dies conventus Urbium Basileam indictus est mense Decembri; si forte posset Basiliensibus persuaderi, ut unam sequerentur reliquarum trium urbium sententiam. Sed cum neque isthic hoc ipsis persuaderi potuisset, mense Januario sequentis anni 1549. Urbes dictæ tres per Legationem amplam in singulorum Pagorum generalibus Conventibus (*Lands-Gemeinden*) responsum dederunt, mentemque suam de Concilio explicuerunt, Basilienses vero scriptis literis suum quoque responsum dedere. Legati redeuntes referebant, se ubique comiter & benevole exceptos, auditos, tractatos & dimissos; & videbatur ipsis, utilissimum fuisse hujus Legationis mittendæ consilium: plerique enim eorum, ad quos veniebant, ignorabant, hoc a suis fuisse apud nostros actum, indignabanturque aliqui. Omnes sane nostrorum responso optime erant contenti, & amicabiles valde se nostris exhibuerunt. Hic fuit exitus hujus instituti.

Mense Novembri 1548. D. AMBROSIUS  
BLAURERUS a Senatu nostro ad Ecclesiæ hujus

Ministerium vocatus est. Sed is actis gratiis recusavit venire.

Anno 1549.

Bernates Anno 1549. in die Epiphaniæ Fri-  
interfunt burgenses solent spectacula edere, qui-  
Spectaculis bus vel præsentis hominum mores ta-  
Pontificiis. xant, vel doctrinam & religionem no-  
stram Evangelicam sugillant, & odiosam red-  
dunt. Itaque a Bernatibus olim lex constituta  
est, ne quis suorum eo die abeat illuc. Hæc  
lex aliquot annis neglecta fecit, ut ad hos Epi-  
phaniæ lusus multi se ex urbe & agro Bernensi  
Friburgum conferrent. Qui cum vidissent no-  
stram religionem probrosissime exagitari, dolore  
succensi non sine commotione inde discesserunt.  
Re a nostris cognita, vocati & puniti sunt quot-  
quot nostrorum illuc ierant.

XIII Mensis Januarii, quæ erat dies Domini-  
ca, qua Dominus *Joannes Vueberus* in Templo  
maiore incepturus erat expositionem Jonæ Pro-  
phetæ, cum finito pulsu suggestum conscendis-  
set, concionem incepturus, invenit chartas lu-  
sorias integro numero illuc a nebulone aliquo  
positas, in ipsius & veræ pietatis odium & deri-  
sionem. Itaque exordium sermonis inde sumens,  
quam necessaria sit hoc tempore pœnitentiæ præ-  
dicatio, ac proinde Jonæ & Ninivitarum histo-  
ria, Chartas in rei testimonium de suggestu spar-  
sas in populum dejecit, non sine gravi offensio-  
ne Magistratus.

XXVIII Januarii D. *Conradus Schmid*, prius  
officio cum *Sulzero* & *Beato* abdicatus, a Senatu  
in gratiam receptus est, exhibita prius confessio-  
ne iusta.

IV. Fe-

IV Februarii decretum est a Senatu, ut generales hic *Synodi* celebrarentur, una Germanorum, altera Sabaudicorum Ministrorum, & animadverteretur in illos, qui videbantur adhuc Ecclesias Lutheranismō turbare, certusque constitueretur Ministrorum in doctrina consensus.

Musculi VII Februarii. MUSCULI negotium  
Vocatio. denuo coram Senatu tractatum. Et IX. ejusdem vocatio illius in Senatu confirmata est, & nuncius missus, qui ipsum ex Tiguro accerferet.

Diffidia Mensibus nunc aliquot invaluerat  
Lausannæ diffidii aliquid & contentionis Lausan-  
composita. næ, inter Ministros partim, & *Ludovicum Corbelium*, Studiosum quemdam Gallum. Supererant etiam reliquæ odii Ministrorum contra *Andream Zebedæum*, artium professorem ibidem. Itaque ad hæc omnia componenda missi sumus illuc mense Februario *D. Johannes Steigerus*, atque ego. Rebus ibi compositis Genevam profecti sumus. Ibi me *Calvinus* cum frequenti omnium Ministrorum Ecclesiæ illius congregatione prandio honorifico excepit.

Synodus XIII Martii *Germanica* incepit *Syno-*  
Germa- *dus*, quæ tres dies integros duravit. Præ-  
nica. fuit huic ex parte Ministrorum *D. Jodocus Kilchmeyer*, ex parte Senatus *D. Cos. Negelinus*. Singulorum censuræ actæ. Deprehensi aliqui Lutheranismum sapientes, a Synodo exclusi, & examini adjudicati sunt. Post censuram interrogati singuli de doctrina, num quid illos gravaret, ut nunc libera hoc detegerent



conscientia. Sed nemo reperiatur, qui quicquam proponere vellet. Itaque de novo confirmata est doctrina post disputationem hic recepta, & graviter interminatum novatoribus & turbatoribus hujus doctrinæ. Quæsitum etiam de Interim, forma scilicet illa Cæsareana, quæ communi omnium voto explosa est. Finito Synodo examinati sunt illi, de quibus dictum. Reliqui omnes examinatoribus (a Ministris partim, partim a Senatu adhibitis) satisfecerunt, & suos gradus recuperarunt. Solus *Mauritius Limpachianus* crassius & pertinacius quoque errare deprehensus officio suo privatus & ablegatus est.

Synodus Sabaudica. XX Martii *Gallica* seu *Sabaudica* cœpit *Synodus*. Ea cum quatuor integris diebus vix sola absolvi potuisset censura, est abrupta per indignationem Senatus, & mandatum singulis classibus, ut suas postulationes & considerationes scripto comprehensas post se relinquerent, quisque vero ipsorum ad suam rediret Ecclesiam. Nihil hac Synodo vidisses turbulentius, adeo diversimodis in se mutuo fratres insurgabant testimoniis, his hunc damnantibus, illis contra eum defendendum suscipientibus. Multi certe omnis modestiæ & æquitatis obliti videbantur, & nisi qui ex Senatu aderant, sua eos compressissent auctoritate, Lapidum convivii potius, quam Christianæ Synodi exitum vidisses. Visum fuit tandem, Zebedæum in alium transferre locum, si forte sic pacatius Laufannæ viverent; idque factum est. Huic Synodo *Musculus* non sine admiratione horum ingeniorum interfuit.

XV. Apri-

XV Aprilis publico Diacosiorum decreto restitutus est honos illis, qui aliquot nunc annis contra leges publicas Regi Gallorum militantes, armis simul & honore fuerunt privati.

Fœdus cum Gal-  
lorum  
Rege.      Crastina, nempe XVI Aprilis mox tractatum de confœderatione nova Helvetiorum cum Rege Gallorum, & per Domini gratiam effectum est, ut Berna hoc fœdus recusaret. Concesserunt in illud omnes Helvetiorum Pagi, excepta Berna & Tiguro. Basilienses & Schafhusianos hoc recepisse, mirabantur omnes pii.

Consensus de Eucharistica.      II Junii missa ad nos est Consensio inita inter *Calvinum & Tigurinam Ecclesiam* in Eucharistiæ negotio, quam & nos approbavimus.

VIII Septembris novo edicto prohibitum est, ne quis in militiam peregre abiret.

VI Novembris D. THEODORUS BEZA hic a Senatu acceptatus, & in Schola Lausannensi Græcarum Literarum professor factus est.

XIV Novembris turbo quidam venti molem lapideam de templo deiecit.

Quoniam leges consistoriales adulterum jubent (si denuo post factum divortium contrahere velit) sedem mutare; visum hoc fuit quibusdam e Senatu seu Magistratu nimis durum. Itaque XXIII Novembris Ministri ad Senatum super hac re fuimus accersiti. Nos vero legis dignitatem & necessitatem exponentes, tantum effecimus, ut Senatus sibi potestatem reservaret hac in re concedendi vel non concedendi, prout res postulare videretur, quodque ipsi visum fuerit.

Itaque aliquibus postea, si conjuges ipsorum, qui cum eis divortium fecerant, obiissent, ad suas sedes redire permissum est.

*Conradus Curio* mense Decembri propter concionem quandam, qua durius in Scultetum ejus loci D. *Beatum Ludovicum a Miilenen* invec-tus fue-rat, officio suo privatus (erat enim tum Ludima-gister in *Burgdorf*) sed mox Ecclesiæ in *Grindelwald* præfectus est.

Anno 1550.

V. Januarii. *Musculus* hic primam habuit concionem. X Februarii erat nobis actio cum *Fer-Ferroni-romio*, qui a Genevensi Ecclesia, cui in us exul. ministerio serviverat, rejectus fuerat, & ad nostrum Senatum confugerat.

XX Februarii demum Synodi præteritæ con-siderationes tractatæ sunt.

Mense hoc Martio Tiguri in meum locum ele-ctus est *Ludovicus Lavaterus*, Cos. Lavateri filius.

Adscribam hic historiam quandam, propterea quod videtur ea mihi Divinæ vindictæ, atque etiam *Præsagæ malæ mentis exemplum* luculentum continere. Anno 1548. mense Octobri Gallus quidam Chirurgus, cui *Henrici de Gajine* nomen erat, & qui ob Evangelicæ veritatis professionem Gallias reliquerat: & primo Argentinam, postea Ebrodunum ditionis Bernensis, concesserat; fili-olum parvum apud me collocavit, cui Josiæ nomen erat, causatus, sibi propter hæreditatem quandam adeundam, in Galliam redire necesse esse, rediturum vero se mox re confecta. Sed revera cum Dema seculum amplexus iterum, ad vomitum suum revertebatur: nam in Gallias veni-

veniens aulæ se mox Principis Vandomiensis junxit, & filio apud me relicto, opera aliquorum amicorum Abbatiaë cujusdam reditus impetravit. Puer apud me in annum usque præsentem hæsit, quo tempore semel duntaxat a Parente literas habuit. Ceterum anno hoc 1550. I. Aprilis, puer, nescio qua incuria, aut quo fato, ad Arulam descendit, & prope Nolli hortum in canales aquam ex vicinia deferentes incidit, sicque præceps in Arulam provolutus, inque ea suffocatus, nobis inscientibus periit. Absentem puerum nos tota nocte quærivimus, inventes tandem prope dictos canales periti pueri testimonium, stramineum illius pileolum. Iisdem vero quibus hoc factum est diebus pater pueri in Galliis constitutus, graviter pro filio laborare cœpit; ita ut insomnes duceret noctes, genio quodam seu spiritu a Domino concitante eum, ut quiescere non posset, donec de filio certum aliquid cognosceret, & qui prius tot mensibus nunquam scripserat, nunc inquieta sollicitudine compulsus proprium huc & domesticum transmisit famulum, qui paucis post obitum pueri diebus hac applicuit, nobisque omnia cum admiratione de patris retulit inquietudine, non dubium præsagium fuisse affirmans hujus calamitatis tam insolitam patris pro puero his ipsis diebus sollicitudinem.

XIII Junii *Vuelfius* quidam Studiosus Aroviannus eo quod binis se implicuerat nuptiis, in foro ferro collari (ut vocant) inclusus est.

XXIII Junii *Musculus* Genesin prælegere incepit.

II Julii venit ad nos D. *Petrus Paullus VERGERIUS*, Episcopus aliquando Justinopolitanus,

& Pontificis in Germania legatus; qui relicto papismo Christo nomen tradidit. Illi stipendium Laufannæ constitutum, sed mox Laufanna relicta ad Rhætos iterum concessit, ubi concionando aliquandiu Ecclesiis præfuit.

VII Septembris de legibus Reformationis magna contentione coram Diacosis actum est, & constitutum, ut summa earum quotannis in singulis passim Ecclesiis prima Dominica die mensis Maji legatur.

XV Septembris Ministri communiter ad Senatum accersebantur propter conciones quasdam habitas, quæ nimium Magistratum mordere visæ fuerant.

Anno 1551.

#### DE INSIGNI QUODAM IMPOSTORE.

*Florianus* quidam SUSLIGA (sic enim se nominabat) Polonus, Varsaviæ Dominus, uti se venditabat, cujus in præfatione in Epistolam ad Hebræos ad Sigismundum Poloniae Regem, mentionem facit *Calvinus*, & cui *Gualtherus* Tigurinus comœdiam quandam (\*) dedicavit, mirabiliter doctissimos quosque per Germaniam, tum etiam multos Reges & Principes, artibus suis decepit & fefellit. Argentinæ Bucerii fuit commensalis, cui cum XXX pro victu daret florenos, fingens se Venetias profecturum, ut ibi pecunias ex patria reciperet, a Domino *Jacobo Sturmio* alteros XXX florenos accepit mutuo, atque sic nunquam reversus, utrumque fefellit. Tigurinos

(\*) Quam inscripsit Nabal. Impressam Tiguri apud Froshoverum A. 1549.

nos decepit omnes. Calvino persuasit præfationem prædictam ad Regem suum. Legato Regis Galliarum apud Rhetos persuasit, se legatum Regis Poloniæ, & tendere in Gallias pro connubio quodam conciliando inter Regis sororem, & suum Regem, & hac ratione, cum de pecuniarum inopia ex casu quodam conquereretur, facile ab illo LX circiter coronatos impetravit, quibus uteretur, usque dum veniret ad alterum Regis Legatum, Soloduri apud Helvetios agentem, quem pari modo fefellit, Dominum scilicet a *Leoncourt*. Henrico VIII. Rege apud Anglos mortuo in Angliam trajecit, Eduardo successori, nomine Regis Poloniæ de successione gratulatur egregie composita oratione, ut erat egregius talia fingendi, & Principes inprimis fallendi exercitatus artifex: Obtinuit insigne a Rege novo munus 2000 circiter coronatos vel angelotos. His ut parceret, mercatoribus Londini mentitur se Regis Poloniæ Oratorem, 200 alios coronatos ab illis mutuo accepit, quos illi in Polonia reciperent. Ita decepto Rege & mercatoribus per Gallias iterum in Germaniam venit. Heidelbergæ Palatino se mirabiliter insinuavit. Ottoni Heinrico familiariter conversatus est, sed tandem cognitus cum magna turpitudine inde discessit. Postea in Hispanias profectus. Ex Hispaniis per Gallias remeans hac iter fecit, & nos (qui tamen jam prius illum noveramus) invisit. Adducebat secum Consul Ravenspurgensis filium. Musculo aliquoties Regis sui nomine pecunias promisit, tum, ut ubi eas sibi numerari vellet, indicaret, ille vero eas, ut æquum erat, semper recusabat. A nobis cum huc veniret XX Aprilis hujus anni,

ni, pecunias mutuo postulabat, sed cum sentiret, se notum esse, non dicto vale proripuit se hinc una cum prædicto Ravenspurgensi, relicto hic misero quodam Hispano, qui ipsum ex Hispaniis huc usque secutus fuerat.

XXIX Aprilis non procul ab urbe in pago *Schlieren* domus cujusdam avari & prædivitis rustici igne correpta est, quam cum evasisset dictus rusticus, & recordatus fuisset pecuniarum mensæ inclusarum, rediit per flammam, ut eas eriperet. Illo vero in hypocæustum reverso, culmen cecidit, & domus super eum corruit, ipseque ita suffocatus periit.

IX Junii. Sangallensis Senatus opus D. *Jochimi VADIANI de Monachis*, vulgari idiomate conscriptum, nostroque ab ipso paullo ante ejus obitum Magistratui dedicatum, per proprium nuncium huc transmisit.

Colloquia  
Classium  
V.D. Mini-  
strorum.

I Julii Brugensis Classis ministri Colloquiorum petiere restitutionem. Ante aliquot enim menses ea fuerant abrogata. Fuit autem hæc ratio Colloquiorum: ut singulis septimanis certi aliqui fratres in certo loco convenirent, atque ibi aliquis eorum locum aliquem Scripturæ proponeret, eumque pro suæ eruditionis modulo explicaret, postea ordine singuli adderent aliquid ex sua quisque lectione, quod ad loci ejus explicationem facere videretur. Institutum fuit hoc exercitium principio Reformationis in hoc, ut Parochi, minus adhuc bene in Evangelica regula instituti, hac ratione edocerentur, & ut cujusque in evolvendis Scripturis appareret diligentia. Successu vero

tem-

temporis factum est, ut sancta hæc in se institutio cederet ostentationi, rixis & contentionibus, dum quis alterum morderet, & vicissim ille morderetur ab alio, aliusque hunc locum sic, alius aliter interpretaretur. Inprimis fota fuit hac ratione Sacramentaria contentio, & multas vires acquisivit in his colloquiis. Hæc occasionem dedere Senatui abrogandi hæc colloquia & quatuor tantum singulis angariis generales Classium conventus instituendi. Accessit & illa ratio cur abrogarentur, quod quibusdam in locis non amplius Scripturæ, sed pocula tractarentur, idque tanta fecunditate, ut Colloquia passim ab omnibus Volloquiorum nomen obtinerent. De ea abrogatione aliqui valde conquesti sunt fratres. Aliis vero admodum consilium probabatur. Cesere tandem hæc Colloquia in Lectiones, ut unus tantum proponeret & exponeret locum aliquem, reliquis nihil addentibus.

XXVII Augusti. Omnes Ministri Augustæ Vindellicorum, opera quorundam hostium veritatis, non modo urbe Augusta, eo quod Interim Cæsareanum recipere nollent, sed & totius Imperii finibus excedere jussi sunt. Itaque mense Septembri quatuor illorum ad nos venere, *Joannes Henricus Heldius, Joannes Mecardus, Joannes Ebingerus, Jacobus Dachserus*. Ex quibus Mecardus & Dachserus aliquot hic mensibus perseverarunt. Heldius Mulhusanæ Ecclesiæ opera Basiliensium minister factus est.

Anno 1552.

#### DE IMPOSTORE IN ENGE.

Mense hoc Januario mirabile quid contigit. Erat quidam Bernas, qui vocabatur Benedictus

*Eschop*



**Tschäppeler**, homo levis & linguax. Is propter debita ab urbe abesse cogebatur. Dum ergo hinc inde vagaretur, & omnia fere, quæ ipsi supererant, consumsisset, vel ut pecunias lucraretur, vel principio ut homines ad commiserationem permoveret, mirabile figmentum excogitavit. Id erat tale: Habebat affinem, non procul ab urbe in eo loco, qui Enge (ab angustia Arulæ utrinque situm ejus loci coarctantis) vocatur, habitantem. Ad illum, quoniam ab urbe ei sub jurisjurandi religione abstinendum erat, tali modo nocte quadam pervenit. Fingebat, se nocte per Forstiam sylvam transisse, quæ nostris dicitur **der Forst**, ibi se audivisse voces quasdam sibi acclamantes: Euge Benedicte, præsentis fortique animo sis, graves enim tibi hac nocte superandæ erunt tentationes. Se vero Angelicas has esse voces non dubitasse, precibusque se Deo commendasse, magnoque horrore correptum in itinere processisse. Cum vero venisset non procul a pago **Bümpliz**, se invenisse institorem quendam, cum quo una urbem versus profectus sit. At vero cum venissent Hollingam, nec sibi propius ad urbem ire liceret, valedixisse se suo comiti, & ad sinistram per arvum, luco Bremgarteni contiguum, declinasse. Ibi flatum vehementem invadere se sensisse, velut ventum aliquem, cum tamen alias nullus flaret, simulque se horrore concussum; Itaque se denuo commendasse Deo. Mox apparuisse illi quendam sub imagine hominis, qui ipsum secum ut iret sollicitavit, pecuniasque promiserit, suamque ei egestatem & cogitationes omnes exposuerit. Hinc, & ex præcedenti admonitione sibi per Angelos facta,

facta, se cogitasse malum hunc esse Dæmonem, itaque Deum se invocasse, dixisseque illi: Apage a me Satan, sim scilicet egenus, non tamen recedam a Domino & Deo meo. Mox ergo diabolum flammis erga ipsum evomuisse, adfuisseque alios duos, qui ipsum verberibus invadere conati sint. Ibi se evaginato gladio ipsis restitisse, illos institisse minis & plagis, se vero fide, oratione & gladio. Sic vero profligatis illis se cito pede cucurrisse versus Engam: sed illos mox iterum invalisse eum, atque rursus profligatos. Tertio se adorsum ab illis in ipsa angustia Arulæ vehementissimo conflictu. A quo cum iterum ab ipsis liberatus esset, se anhelato cursu venisse ad affinis sui domum. Hæc finxerat ipse. Ad domum vero affinis ubi venisset, iterando clamitabat, ut sibi mox aperiretur. Alter cum surgendo moram faceret, hic miserrime ejulando sibi mox aperiri postulabat. Receptus in ædes, tremebat, & mox se in lectulum conjiciens, æstro quasi percitus concutiebat se, fingens se adhuc cum dæmonibus conflictari. Mox ad se reversus (uti simulabat omnia) & rogatus, quid rei esset? hanc fabulam exposuit, quam nunc recitavi. Sicque aliquantulum quiescens, mox iterum abripi se simulans, clamitando proferebat ea verba, quibus in pugna cum dæmonibus se usum esse finxerat. Tertia post die, V. Januarii affinis illius venit in urbem, exposuitque negotium hoc aliquibus senatorii ordinis, imprimis vero D. Tilgero quæstori ærarii, nimirum ut daretur illi aliquid subsidii, quo hominem hunc alere posset, erat enim egenus valde. Datum est ei aliquid, jussusque præterea, ut Ministrum aliquem verbi evocaret, qui cum ipso loque-

loqueretur. Venit itaque ad me hoc petens. Egrediebar ergo comitantibus me duobus comensalibus meis, Solomone Sibero, & Rodolpho Wonlichio, Tigurino. Illuc ubi venimus, fatis sanus videbatur, lectulo tamen incumbebat. Locutus ergo cum eo, quid rei esset, quomodo haberet, aut quid ipsi contigisset, cœpit exponere figmentum suum. Inter vero dicendum concidit in lectum suum, cœpitque agitare omnia membra, simulare omnem historiam, Angelorum voces, suas preces, quomodo invenerit comitem, quid cum eo locutus. &c. Hæc omnia quasi cæstro percitus graphice agitabat, tragœdiamque quasi quandam ludebat. Verba sonusque verborum conveniebant fabulæ omnia, erat enim linguax, temerariique sermonis, sonoræ vocis. Tacitus ego observabam illum, & mirabar irremissas agitationes, quibus se ipsum tantopere exercebat, ut lectulus sub illo penitus aqua perfusus videretur. Tandem ad se reversus potum petiit, denuoque nobiscum locutus est. Ego conjiciebam, ipsum, cum noctu ambulasset, ex pavore concepisse imaginationes tales, quæ ipsum ita agitassent, atque ex eo pavore se spasmos ita contraxisse pectoris vehementes; nam non absimiles erant ejus agitationes agitationibus spasmi morbi quem vocamus *die Sicht*, nisi quod tantas nunquam viderim, quales exercebat hic. Eximebam ergo illi imagines verbis quantum poteram, exponendo, quid Deus, quæ ejus voluntas erga nos, qui mali Spiritus, quæ ipsorum potestas, quid fidei homini in tentationibus agendum: hortabar illum ad preces, simulque uxori ejus, quæ illuc quoque ex urbe venerat, parvulumque

lumque lactantem in sinu gestabat, aliquid pecuniarum, solatii gratia, dabam. Quod licet a me bono animo factum, ipse tamen eo benefacto male usus est: siquidem sentiens, pecunias sibi dari, perrexit in suo cœpto, quo plures ab invisentibus eum pecunias corradere posset. In reditu nostro multa cum comitibus meis de isto homine disputabam, suspicabarque mox fraudem subesse aliquam, referebamque ipsis aliquot alia talia impostorum exempla. Ceterum res in urbe postquam increbuit, cœpere multi exire, ipsumque invisere: cumque nemo illorum esset, qui non aut aliquid secum ferret, aut aliquid ibi relinqueret, ipse lucri odore illectus, quotidie aliquid artibus suis adjiciebat. Cœpit enim tandem (cum simularet se abreptum) concionari quasi, id est, loqui de Deo, Scripturis, fide, pœnitentia, caritate. Hortabatur omnes ad pœnitentiam. Vitia communia taxabat acriter, scortationem, adulterium, usuram, avaritiam, ebrietatem, blasphemias, nominatimque aliquos civium, quorum mores ipsi erant cogniti, perstringebat, nunc hunc, nunc alium inclamando. Qua fermocinandi ratione plures attrahebat, tum novitatis rei, tum traductionis hujus apertæ cupidus. Quicquid enim de aliquo dixisset, hoc mox in tota urbe divulgabatur; indeque plures ad ipsum veniebant. Resque eo devenerat, ut videretur quasi ad Diuum aliquem peregrinatio illuc instituta. Tandem vero aliqui suspicantes id quod ego quoque, fraude geri omnia, constituerunt noctu clam illuc se recipere, & observare, num etiam noctu, nemine præsente, sic luderet, nec ne. Venientes itaque illuc sub no-

ctem, horam circiter septimam post cœnam, & fenestris aures tacite applicantes, audiebant illum cum suis mensæ affidere, & opipare convivari, atque inter alia dicere: Quid haberetur nunc, si non ego hæc omnia vobis lucrarer? Qua voce cum se ipsis prodidisset, in domum irruerunt, graviterque eum increpuerunt. Is non suspicatus quod accidebat, remansit ibi. Hi vero fraude in urbe indicata effecerunt, ut ante diluculum crastinum ipse cum uxore & affine, totaque domo ejus caperetur. Factum hoc XXVI Januarii. Affinis & uxor in urbem ducti fuere: ipse vero (quoniam jusjurandum illum ab urbe arcebat) ad Künitz perductus, ibique a carnifice tortus, omnem fabulam confessus est. Et quamvis expectarent omnes, ut capitis supplicio afficeretur, tamen quoniam non in urbe erat, & aliquos haberet patrociantes, finibus ditionis Bernensis cum jurejurando & Urfedo (ut vocant) ejectus est. Affinis & uxor in tortura nihil amplius confessi sunt, quam quod principio fraudem ipsi quoque non intellexerint, sed ab ipso non aliter atque alii, quod hoc ipsi accidisset, persuasi sint: postea tamen se in hoc peccasse, quod aliquo modo cognita fraude, tacuerint. Sic ergo ipsi quoque castigati dimissi sunt.

Circulator  
præstigias  
agens. VI Januarii quidam hic erat Circulator sine brachiis natus, qui tamen gladio, mento humerisque apprehenso, baculum satis crassum, ab utraque parte pertinacissime incisum, abscindere poterat. Pedibus etiam pectinare sibi ipsi, filumque acui immittere nereque noverat, asciamque humeris

meris apprehensam in quemvis objectum parietem gravi impetu projectam infigere poterat.

XVII Februarii CALVINUS huc venit, & se apud Senatum de quibusdam quorundam calumniis purgavit.

XXII Februarii literæ Senatui nostro oblatae sunt a Senatu Augustano missæ, quibus conque- rebantur de *MUSCULI Scripto contra impurum* (qui tamen puri titulum præ se ferebat) *Catechismum*, Augustæ editum, conscriptum, rogabantque ut illi interdiceretur, ne quid denuo tale contra ipso- rum dignitatem ederet: sed Senatus, accepta Musculi defensione, facile illorum, utpote Papi- starum, literas contempfit.

XXV Martii OTTO WERDMYLLERUS, Tigurinæ Ecclesiæ Minister, vir doctus & pius, affinis meus, Tiguri obiit; cui frater meus in ministerio postea successit.

XI Aprilis nuncium accepimus de occupata per Mauritium Electorem Saxoniae Augusta, & restitutis ibidem ministris.

Musculi  
Vocatio-  
nes va-  
riæ. XXVI Aprilis. Novus Senatus Au- gustæ per Mauritium Electorem restitu- tus, *Musculum* a nostris ad Ecclesiæ ejus Ministerium repetiit: sed cum res non- dum satis essent tutæ, amicique dissua- derent, maluit nobiscum manere, in quo & pru- denter egit. Vocatus fuit alias quoque in An- gliam, in Poloniam, Heydelbergam, Argentinam, quibus vocationibus omnibus hanc suam apud nos prætulit.

IV Junii Arula in tantum excrevit, ut tota via Massiliensis plena esset aquis, & exundaret etiam in pratum Franciscano collegio adversum.

Anno 1553.

Profelytus. XXIV Januarii venit huc primo  
 D. *Jacobus Sumi*, Curatus sive Paro-  
 chus apud *Stantz*, Subsylvanorum. Habebat is  
 cognitionem veritatis mediocriter. Sanensis erat  
 patria. Patrem habuerat sartorem, qui diu in  
 urbe & ditione Bernensi habitaverat, & inter pri-  
 mos fuerat, qui Evangelicæ doctrinæ in his par-  
 tibus faverant: Neque illi favit tantum, sed con-  
 stantissime eam professus est, & diligentissime  
 S. Scripturas versavit, ita ut ab illis, qui eum  
 noverant, sæpe audiverim, non fuisse illi tum pa-  
 rem in citandis Scripturæ locis. Is tandem a sa-  
 crificulo confossus obiit, puero isto relicto. Pa-  
 tre defuncto, mater cum puero in Subsylvaniam  
 concessit. Ibi Scholæ adhibitus, tandem in Sa-  
 crificum unctus, & Parochiæ in *Stantz* præfectus  
 est. Privatim tamen interea a matre multa do-  
 ctrinæ Evangelicæ capita hausit, & ea ratione in  
 Scripturarum lectionem quoque pervenit, ex qui-  
 bus veritatis lux illi sic affulsit, ut de loco mu-  
 tando inciperet cogitare. Fuit illi quoque occa-  
 sio multa ex quodam Tigurino *Theobaldo Engeli*  
 pistore, qui apud Subsylvanos in eodem quoque  
 pago habitabat, discendi: Cum eo enim, utpote  
 qui veritatem non ignorabat, multa sæpe contu-  
 lit, & animatus ab eo est. Accessit, quod ma-  
 trona quædam honesta, si locum mutaret, &  
 ad Evangelicos concederet, matrimonii fidem illi  
 polliceretur. Ipse ergo occasione oblata finge-  
 bat, sibi aliquid hæreditatis obvenisse apud Has-  
 lacum ditionis Bernensium, petiit itaque publi-  
 cam commendationem, & Socium sibi assump-  
 sit prædictum pistorem, venitque Haslacum.

Mox

Mox vero eo digresso cœpit spargi rumor de illius defectione, & matrimonio contracto. Missi ergo qui illum ex itinere retraherent, sed ipse jam montem Brüning superaverat. Haslaci commendatione accepta huc venit, & consilium suum nobis aperuit. Ignorabat se jam suis proditum. Itaque constituerat, illuc reverti, & rebus omnibus convasatis per occasionem huc venire. Suis illi fuit, ut maturaret hoc, antequam proderetur, promissumque illi subsidium & auxilium, si veniret. Reversus itaque cum comite suo ad lacum Lucernensem, comperit se proditum. Pistor, astutior illo, trajicere noluit. Ipse vero bene sperans, ausus se fuit terræ illi iterum committere. Sub noctem cum illuc veniret comperit ab amicis, se proditum, & se extrema, si comprehendatur, passurum: Abditur igitur a quodam in fovea, qua rapæ servari solent. Mox adsunt, qui ipsum quærant, ignemque minentur: nam cognoverant ipsum reversum. Inveniri tamen nequirit. Sopitis illis ipse naviculam ingressus lacum iterum trajicit & perfugus ad nos redit. Elapso illo confiscantur quæ habet omnia, libri igni traduntur. Uxor, cui scilicet fidem dederat, comprehenditur, & vix post aliquot septimanas dimittitur. Illa elapsa tandem venit & ipsa huc. Atque ita confirmato matrimonio adhuc inter nos honeste vivunt, ipseque paullo post leprosis concionator datus, postea Parochiæ in *Krouchtal* præfectus est, ubi adhuc pie & constanter Christum docet.

NICOLAUS ARTOPOEUS, qui Collegio Franciscanorum præerat, obiturus (obiit XV. Decembris) cum hæredem masculum non habe-



ret, & videret luminaria in Schola tempore hyberno pueris non dari, legavit suam Bibliothecam (quam instructissimam habuit) magnifico Senatui, ea conditione, ut Magistratus curaret ex ærario Divi Vincentii pueris luminaria dari. Id quod factum est. Debet ergo hoc beneficium omnis Scholastica posteritas huic bono & p. m. viro.

Serveti caussa. Mense Septembri Genevæ deprehensus est MICHAEL SERVETUS, blasphemus, qui S. Trinitatem non negabat modo, sed Cerberum etiam tricripitem vocare audebat; pertinax hæreticus. Qui cum in vinculis suas adhuc blasphemias tueretur, Senatus Genevensis Helveticarum Ecclesiarum consilio uti voluit, & misit integros processus ad omnes Ecclesias. Responderunt illæ, sicut postea typis vulgatum est. Non tamen in necem ejus aperte omnes consenserunt. Tandem ille XXVII Octobris Genevæ exustus est. Quod illius supplicium, licet illo dignissimum esset, multis dedit occasionem dissentendi, cum alii hoc recte factum esse defenderent; alii putarent, non admittendum fuisse ejusmodi exemplum in Ecclesiam, ne occasio daretur amplior Papistis erga fideles igne sæviendi, & veteres etiam, hæreticos Verbo Domini, non supplicio vincendos esse, duxissent.

VI Julii hujus anni obiit *Eduardus VI* Angliæ Rex, adolescens piissimus, qui ad instar *Joſiæ* Religionem secundum Verbum Domini reformare cœperat. Illo defuncto, *Maria* Soror ejus Regnum obtinuit, obtruncata *Joanna*, cui ille Regnum legaverat. Ea postea crudelissime  
in

in pios sæviit, Evangelicam doctrinam ejecit, Papismum reduxit, Regnum Angliæ Romano Pontifici iterum subjecit, ductore *Reginaldo Polo*, Cardinale. Sub ea martyrium passi sunt præstantissimi viri D. Archiepiscopus Cantuariensis, totius Regni aliquando Archi-Cancellarius, & multi alii pii & docti viri, quorum mentio fit apud Sleidanum.

IX Julii conflictus in Saxonia factus inter Principem Electorem Mauritium & Albertum Marchionem Brandenburgensem, quo multi Principum cecidere. Et ipse Mauritius ex vulnere ibi accepto, paucis post diebus mortuus est. Foverant illi ambo, licet Evangelici videri vellent, bello Smalcaldico partes Cæsaris contra Protestantes seu Evangelicos. Tandem ergo Domino ordinante ita se mutuo attriverunt. Succubuit Albertus multis amissis. Ipse evasit.

Studiosi Lausannenses quatuor hoc anno Lugduni, licet sæpius Senatus noster pro ipsorum liberatione scripisset, exusti sunt, quorum primus vocabatur *Martialis Alba*.

Anno 1554.

Fanaticus III Januarii erat hic quidam *Joan-*  
quidam. *nes Leonardus* nomine, qui se Mosen  
secundum appellabat, & revelationes  
miras jactabat, quidque per ipsum Deus in mun-  
do esset effecturus. Vocabat se ipsum Prophe-  
tam Dei. Is Senatum accessit, & impetravit,  
ut destinarentur aliqui ex Senatoribus, qui una  
cum Ministris ipsum audirent, & cum eo con-  
ferrent. Hoc cum fieret, apparebat, aut insignem esse impostorem, aut mente captum; nam

alias non impius homo videbatur, staturæ & formæ insignis & ingenuæ, sed cerebri admodum perplexi & disturbati. Remissus igitur a Senatu, cum denuo paullo post huc esset reversus, interdictum est illi ditione Bernensi.

XV Februarii erat nobis actio cum quodam rustico Rorbacensi, qui ex occasione loci Act. XV. ubi sanguinis esu decreto Consilii Apostolici interdicitur, supersticiosus abstinebat. Nec ipse modo, sed & aliis hoc persuadere conabatur eorumque conscientias esu isto ligare. Dimissus domum promisit resipiscentiam.

Mense Junio venit huc D. *Emanuel TREMELIUS*, Hebræus natione, fide Christianus. Non Hebraice modo, sed & Græce & Latine doctissimus; is per aliquot septimanas hic publice legit, & nisi invidia quædam contra ipsum orta fuisset, poterat hic retineri. Concessit postea ad Principem Bipontinum. Gener illius *Antonius CHEVALLERIUS* Lausannæ diu mansit.

Hoc anno lite cum Friburgensibus juridice decisa, Missa profligata est ex oppidulo *Orba*. Orbenses secutus est pagus *Montagni*: Postea civitas *Grandsonium*. XXIX enim Novembris postea Monachi Grandsonenses una cum Missa migrarunt Friburgum.

Mense Octobri cum obiisset D. *Henricus RAGOR*, Decanus & Pastor Ecclesiæ Brugensis, Brugenses in ipsius locum elegerunt *Christophorum LUTHARDUM*, Diaconum ejusdem Ecclesiæ: Classis vero Decanum constituit D. *Jacobum Vindonissensem*.

Mense

Interdicitur ne quis de Prædestinationis Doctrina quicquam ederet. Mense Novembri lis erat Lausanensibus Ministris cum *Francisco Sam-paullino*, Ministro Viviacensi, eo quod in negotio Prædestinationis videbatur aliquantum ab ipsis discrepare. Res fuit composita, sed ita, ut neutri parti satisfaceret. Conscripserat ipse libellum, quo quid sentiret in hac materia explicabat, & petebat, ut concederetur illi, vulgare istum. Sed Magistratus noluit, & librum ad se recepit. Interdictum quoque est aliis, ne quid de hac materia ederent; sed neque *Viretus* neque *Beza* hoc servarunt. *Viretus* hoc tempore Minister erat Lausannæ existimationis maximæ. *Beza* vero Professor Græcus.

Mense Martio hujus anni obiit Joannes Fredericus Elector, Dux Saxoniae, una cum uxore Sibylla, postquam non diu ante ex captivitate Cæsaris Caroli esset domum reversus.

Albertus, Marchio Norimbergensis, hoc anno bellum gessit contra Norimbergenses.

Mense Augusto Rhæti in Italia prope Senam cæsi sunt a Cæsareanis.

Philippus Hispaniarum Rex hoc anno Mariam, Reginam Angliæ duxit; & persecutio ingens contra Evangelicos in Anglia orta est.

Martyr. Visontii in Burgundia doctissimus quidam juvenis, *Paris Panicerius* nomine, Burgundus & ipse natione, L. L. Doctor, propter veritatis confessionem obtruncatus est, & postea ad patibulum suspensus.

Coloniæ Agrippinæ Evangelium florere cœpit.  
 Angli multi ex patria profugi propter per-  
 exules. secutionem ortam in Germaniam hinc in-  
 de dispersi sunt. Senatus Francfordien-  
 sis ad Rhenum hospitium & Ecclesiam publicam  
 ibi illis concessit; cujus Ecclesiæ liturgia postea  
 typis vulgata est.

Locarnen- Locarni apud Lepontios multis jam  
 ses ob veri- annis cœperat lux veritatis Evangelicæ  
 tatis evan- in multorum animis inclarescere, ita  
 gelicæPro- ut multæ nobiles & potentes familiæ  
 fessionem Christo nomen darent, sperabantque  
 exules. fieri posse, ut obtinerent privatam  
 Ecclesiam & publicum locum libere convenien-  
 di & sacra tractandi. Hoc tamen septem Can-  
 tones Papisticæ religionis ferre non poterant.  
 Urbes Evangelicæ libenter eos juvissent. Tan-  
 dem cum acriter diu esset super ea re concer-  
 tatum, ita ut periculum esset, ne bellum aliquod  
 commune inter Helvetios oriretur, Glaronenses  
 & Appenzellenses se interposuerunt, & mense  
 Decembri in Comitibus Badensibus talem senten-  
 tiam tulerunt: ut aut ad Papismum omnes illi  
 Locarnenses reverterentur, quoniam publica pax  
 (quam vocant *den Lands-Frieden*) hoc exprime-  
 ret, aut intra tres menses cum omni substan-  
 tia sua inde libere discederent. Hanc conven-  
 tionem receperunt tres Civitates, Berna, Basi-  
 lea, Schafhusium. Tigurini, quoniam putabant  
 pace publica hoc non exprimi, consentire no-  
 luerunt. Itaque boni illi homines, quorum  
 erant LX aut amplius familiæ, inde migrare co-  
 acti sunt, aliqui ad vomitum sunt reversi.  
 Rhæ-

Rhæti illis hospitium concesserant in Valle Tel-  
lina: sed cum illis mox minus essent grati, Ti-  
gurum concesserunt, ibique Ecclesiam constitue-  
runt Italicam, cui præfecerunt D. *Bernhardinum*  
*OCHINUM*, Senensem, qui aliquando pœniten-  
tarius fuit Papæ Pauli III.

Anno 1555.

Collecta Cum Ecclesia Locarnensis, patria  
pro Locar- sua ejecta, Tigurum concessisset, non  
nensibus. sine magno rerum suarum dispendio,  
& pauperes contineret multos, Senatus  
Bernensis, instinctu Ministrorum, & aliorum bo-  
norum virorum, decrevit, collectam fieri per  
universas totius ditionis suæ Ecclesias, & ad eam  
mitti. Scripsimus nos ad omnes Classes Germa-  
nicas & Sabaudicas. Factum ergo, ut intra pau-  
cos menses amplius quam mille trecenti coronati  
colligerentur. Illæ pecuniæ per publicum cur-  
sorem ad afflictos illos exules mittebantur, quæ  
illis magno solatio fuere.

Calvini de  
Prædesti-  
ne Doctri-  
na non  
confirma-  
ta.

X Martii *CALVINUS* & *VIRETUS*  
hic erant, habentes actionem quandam  
contra *Andream Zebedæum*. Cupiebat  
etiam *Calvinus*, suam de Prædestinatio-  
ne doctrinam a Senatu confirmari: sed  
non obtinuit.

Impostor. Hoc mense impostor quidam Ber-  
nam venit, qui angelum se familiarem  
habere prædicabat, Vriem nomine: Ejus ope  
multa secreta revelare; utpote thermas latentes  
recondere, morborum causas & occasiones ve-  
teres divinare posse videbatur. Et ut est super-  
stitio-

stitiosum vulgus, magnum mox habebat concursum. Tandem comprehensus, cognitum est, illum Badenæ propter turpia quædam virgis cæsum fuisse: Itaque tandem dimissus est cum exilii pœna. Concurfus frequentiam cum animadvertisset, ausus fuit petere, ut publice illi concionari liceret.

XVIII, XIX, XX Julii frigida tempestas nivibus alpes etiam proximas opplevit, cum magno pecorum detrimento.

Anno hoc obiit P. P. Julius III. cui successit Marcellus II. sed cum paucis diebus vixisset, electus est Paullus IV.

Augustæ Comitia celebrata sunt, in quibus de Religione multa acta sunt. In Anglia gravissima fuit persecutio, & multi insignes viri cremati.

Confilia de Helv. Fœdere renovando. Multa inter se hoc tempore Helvetii egere de renovando per jusjurandum pro more fœdere: sed cum de forma jurisjurandi convenire non possent, nihil actum est. Et ejus rei gratia nos quoque Senatuum accessimus. Convenerant etiam IV Evangelicæ Urbes Aroviæ hujus rei nomine.

Exemplum cædis occultæ. XIV Decembris, quædam mulier, honesto prius viro nupta, inventa est domi suæ mortua, toto corpore lacerata, scissuris gravissime olentibus; quæ tamen die præterita sana fuerat & integra. Putabatur a diabolo esse lacerata. Inveniebantur plurimæ in illius scriniis pecuniæ ad 1400 vel 1600 libræ, quæ tamen adeo parca fuerat,

ut

ut aliunde potius precario cibum accipere, quam ipsam sibi emere & parare vellet: Ideoque etiam sola victitabat sine ancilla. Mittebantur ad contemplandum ipsam summus apparitor & scriba fori. Inveniebant aspectum horribilem & foetorem gravissimum. Unde erant, qui putarent, ipsam non esse sepeliendam in commune cœmeterium. Obtinuit tamen ea sententia, ut, quoniam certi nihil de ejus interitu constaret, sepeliretur.

XXVII Decembris, electus sum a Senatu ad reformandas Ecclesias Sanenses. Itaque mox post Calendas Januarii anni sequentis eo profectus sum, & toto mense illic egi, *Vireto* & *Hugone* Murentensi ad inferiores Ecclesias, quæ Gallica Lingua utuntur, destinatis, *Rubeomontanam* scilicet & *Castri de Oesch*.

Anno 1656.

Census Civium. Initio hujus anni Census Civium actus est, & exacti sunt pro singulis centum libris, quas quisque possidebat, sex solidi, id est, de mille libris tres libræ. Factum hoc propter emptam partem Comitatus Gruerensis. Ministrorum bona, sicut aliorum, quoque sub censum & exactionem venere. Sub finem anni 1555 Domini Bernenses & Friburgenses Comitatum Grueriæ emerunt, eundemque facta proportione diviserunt.

Mense Januario dum ego Giffiniaci essem, *Abrahamus Musculus* Ecclesiæ Haslensi præfectus est.

V Aprilis Tiguri obiit sanctæ memoriæ vir, D. *Conradus PELLICANUS*, Pater & Præceptor meus



meus honorandus , ætatis suæ LXXIX. In cu-  
jus locum Tigurini vocabant ex Argentina D.  
*Petrum Martyrem*, Vermilium, Florentinum, in-  
signem Theologum.

Fictus XVI Maji agebatur caussa cujusdam ,  
rumor. qui natus ex ditione Friburgensi, rumo-  
rem sparserat in partibus superioribus,  
Subsylvanos parare exercitum , irrupturos in di-  
tionem Bernensem , subsidiumque laturos Giffi-  
niacensibus , ne Missam relinquere cogentur.  
Cum vero nihil certi comperiri posset , com-  
prehensus est ille , & scriptum hoc ad Subsyl-  
vanos , qui missa huç legatione in jus eum vo-  
carunt. Ille agnoscens se mentitum, nihil nisi  
veniam ab utroque Magistratu precabatur : quæ  
post factam renunciationem illi concessa est, ita  
ut vita donatus ditione tantum Bernensi pro-  
scriptus sit.

Latroci- XXIII Maji decollati & postea ratis  
nium. impositi sunt duo milites Germani , seu,  
ut vocant , *Landesknecht*, propter faci-  
nus tale. Militaverant in Pedemontio sub signis  
Galliarum Regis. Ibi cum reliquis dimissi sunt  
exigua pecunia accepta. Alter eorum Argentinen-  
sis erat, alter Austriacus patria. Genevam ergo  
ubi venissent , redituri in Germaniam , cœpit al-  
ter ex eis conqueri, quod pecuniæ ejus deficerent,  
itaque sibi piscandum esse. Respondit alter, sibi  
idem cordi esse, neque enim se pecunias habere  
plures. Proficiscebatur cum illis tertius quidam  
alius , qui ipsorum fuerat contubernalis, audiens  
hæc ab ipsis, sed joco tribuens. Postquam er-  
go Arbergum venissent, prope pagum Lys, re-  
com-

composita suum illum socium & contubernalem adoriuntur & prosterunt, vulneribusque confossum in arbutum proximum pertrahunt, acceptisque pecuniis illius illico profugiunt, timentes ne deprehenderentur in facto, quoniam via ista plena erat militibus in Germaniam redeuntibus. Illo ita semimortuo relicto maturant fugam. Iphis digressis is qui vulneratus erat, recepto spiritu ægre in viam iterum prorepit, & subvenientibus quibusdam casum suum aperit. Illi Arbergum regressi Præfecto loci rem indicant. Is mox assumptis quibusdam ministris latrones insecutus in pago Lys deprehensos vincit, & huc transmittit. Vulneratus sumptibus Magistratus nostri curatus, & in patriam suam remissus est. Argentinensis, cum ad supplicium ducerentur, recordatione sacrarum concionum, quas audierat, mirabili fiducia & tolerantia supplicium tulit, admonens omnes Spectatores, ut sibi a militia mercenaria caverent: nihil enim ibi quam barbaram crudelitatem disci, quæ postea ad latrocinium quoque degeneraret; offendique Deum crudelitate illa, quam etiamsi quis non ipse exerceret, augere tamen eum numerum hoc facientium: Alter, utpote in sacris nihil institutus, tanquam lapis mutus mortem obiit, ut ita mirabiliter appareret in altero efficacia Verbi Dei aliquando auditi.

Reformatio  
ap. Glaronenses.  
gentibus.

Hoc tempore apud Glaronenses aliquantum tumultuatum est propter religionem, quinque-pagicis Missæ restitutionem in quibusdam locis urgentibus. Et *Josephus Hauserus* petentibus Glaronen-

nenſibus iſtis a Senatu noſtro in Miniſtrum con-  
ceſſus eſt.

Hoc anno mortuo Friderico Palatino Rheni  
Electore, ſucceſſit ei Otto Heinricus, Bavariae  
Dux, moxque remota Miſſa, Eccleſias Palatina-  
tus ſecundum formam Wirtembergicam refor-  
mavit. Illius exemplum mox ſecutus eſt Caro-  
lus, Marchio Badeniſis.

Anno 1557.

Menſe Januario decretum a Scholarchis, & a  
Senatu conceſſum, ut Studioſi noſtri ingenioſio-  
res ad exteras Univerſitates & Scholas mittantur;  
qui per aliquot nunc annos non niſi Tigurum vi-  
tandi Lutheranismi gratia miſſi fuerant.

Non conce-  
ditur editio  
Homil. Bul-  
lingerii in A-  
pocalypſ.

XXVIII Januarii denegata eſt a Se-  
nate Homiliarum *BULLINGERI* in  
*Apocalypſin* editio. Cum enim *Fro-  
ſchoverus* opus illud imprimere nollet,  
libenter obtruſiſſet noſtro *Apiario*: ve-  
rebatur enim, ne aliquid tumultus  
inde oriretur. Noſtri hoc ſentientes, & idem ti-  
mentes, *Apiario* concedere noluerunt, ut impri-  
meret. Poſtea impreſſum eſt illud opus Baſileae  
Latine, & Germanice Mülhuſii.

XXII Aprilis *Farellus* & *Beza* hic erant, impe-  
trantes interceſſionem pro fidelibus Pedemonta-  
niſis.

XXVIII Aprilis, hic erat *Jacob Behem*, Judæus  
gente, cupiens baptizari & ſimul accipere condi-  
tionem; ſed cum conditio illi non mox promit-  
teretur, & ſine baptiſmo diſceſſit.

III Maji

III Maji constitutum est, comprehendendos esse eos, qui sollicitarent aliquos ad proficiscendum in militiam.

Mense hoc Majo Legati Helvetiorum in Burgundiam profecti sunt, ad confirmandum foedus perpetuum.

Ecclesia Anglicana recepta, XII Maji Anglicanae Ecclesiae (quae exulans Vesaliae aliquamdiu fuerat, sed inde a Lutheranis pulsa) hospitium in ditione Bernensi Senatus consulto concessum est. Delegerunt sibi Aroviam.

XXIII Maji missus est D. *Claudius a Madiis* una cum reliquarum tum Evangelicarum in Helvetia Urbium legatis in Galliam, ad intercedendum pro fidelibus Pedemontanis.

XVI Junii Senatus communiter apud Praedicatorum pransus est cum *Jacobo Funcklio*, probandae Artis lignariae gratia. Convivium quibusdam melius ipsa Arte (quae postea in spongiam abiit) placuit. Habebat quidem ipsa ars aliquid speciei, praesertim si speciosis exornaretur verbis, & demonstratione seu gesticulatione artificiosa; sed quoniam nihil habebat firmitatis, tandem explodebatur ubique: Autor illius primus fuerat D. *Conradus Zuik*, Constantiensis, homo solers & ingeniosus; sed is, dum ea promulganda esset, obiit. Successores ejus (quorum causam in regionibus vicinioribus Helvetiae *Jacob Funcklius*, Bielnensis Ecclesiae Minister, solerter egit) gravi undequaque pecunia collecta, ipsam artem Romam usque & Constantinopolin perduxerunt, multaque a Caesaribus, Regibus, Principibus & Rebuspublicis

privilegia impetrarunt. Senatus noster mille eis libras dedit. Corrasa ista quæstuarium pecunia ipsa ars defecit, cum indignatione magna eorum, qui delusi magnos sed inanes fecerant sumptus.

Gribaldi      Mense Septembri Gribaldi causa agitata est, erat autem talis: *Matthæus GRIBALDUS*, Doctor, Pedemontanus, ante aliquot annos propter Evangelii professionem e patria recedens, locum in ditone Bernensi Sabaudica quæsit, Vargiarumque dominium, non procul a Geneva situm, emit. Cum vero in professione Juris Civilis esset exercitatus, & admodum eruditus ac eloquens, neque ibi quicquam profiteri, aut ex arte sua lucrari posset, cum venia Senatus nostri provinciam jura profitendi in Schola Pataviensi suscepit. Redibat tamen quotannis ad invisendum suum dominium, cui œconomum aliquem præfecerat. Patavii postquam multis egisset annis, & cum magna autoritate docuisset, tandem inde quoque dimissus est. Tum opera *Vergerii* apud Ducem Wirtembergensem in Schola Tubingensi docendi locum accepit, permisso iterum Dominorum Bernensium. Intercesserat illi interea cum *Calvino* & Ministris Genevensibus aliquid simultatis. Illi eum agnoscentes melius, scripserunt ad Principem Wirtembergensem, fovere eum dogmata impia de Trinitate. Dux inquisivit in illum. Ipse oblique respondendo, quod res erat, dissimulare conabatur. Cum tamen urgeretur, spatium sibi deliberandi concedi petiit. Hoc illi datum. Interea vero dum expectatur responsum, inde profugit, & in has regiones ad suum dominium iterum se recepit. Dux

Wir-

Wirtembergensis curat inquire in Bibliothecam suam, si quid forte inveniatur, quod errores saperet. Inveniuntur scripta quædam ejus, quæ a Duce huc ad Senatum mittuntur, una cum descriptione omnium eorum, quæ illic acta erant. Senatus illum accersit, libros & scripta ejus nobis examinanda tradit. Invenimus inter alia, eum pro tribus Personis tres constituere Deos subordinatos, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: Negare item Idiomatum communicationem in persona Filii, & quædam alia ejusmodi. Senatus cognoscens hæc, carceri eum tradidit, decrevitque, ut sub data fide & amissione sui domini, Duci se iterum Wittenbergensi sisteret, & examen, a quo perfugerat, subiret. Promittit; sed liberatus e carcere rogat Senatum, ne remittatur illuc, sed ut patiatur illum subire judicium suorum Ministrorum. Impetrat. Remittitur ad nos. Nos multis cum ipso agimus, illi non desunt quæ regerat verba. Tandem, ut certum constitueretur, confessionem conscribimus, cui petimus ut subscribat. Quærit ipse effugia & expositiones. Nos simpliciter eum urgemus. Tandem subscribit & errores revocat. Senatus, quamvis nobis esset satisfactum, nihilominus illum extra fines suos migrare jubet. Migrat: sed post aliquot menses impetrat reditum ad sua.

Vexationes  
fidelium in  
Gallia.  
ad Regem misere; sed nil impetrarunt. Matrona

Mense Septembri congregatio fidelium Parisiis habita, dissipata est, multique capti, pro quibus liberandis IV Helvetiorum Urbes denuo legationem

H 2 quæ.

quædam dives, in cujus ædibus convenerant, una cum aliis quibusdam lento igne exusta est. Aliique sub certis conditionibus dimissi.

Quarta  
commu-  
nio con-  
cessa.      XXIX Septembris Angli qui Aroviæ erant, Cœnæ usum frequentiore sibi concedi voluerunt. Concessum, ut inter Pentecosten & Nativitatem Domini, quando liberet, semel communicarent.

XXI Novembris fœdus sempiternum cum Genevatibus ictum est.

Anno 1558.

XI Januarii Genevensium Legati hic jurarunt fœdus novum, & vicissim eodem die Legati nostri idem præstiterunt Genevæ, magnaque ibi pompa & solennitate excepti & tractati sunt.

XXVIII Januarii erat nobis ex jussu Senatus colloquium habendum cum *Joanne Dalansio*, Gajensi, qui videbatur doctrina *Gribaldi*, cujus Oeconomus fuerat, infectus, cujus rei nomine apud Senatum delatus. Quamvis vero ille *Gribaldo* favebat, doctrinæ se tamen ejus compotem esse negabat, quamvis, ut facile apparebat, nonnihil ex eo hausisset: Satisfactione autem accepta dimissus est cum pace.

His diebus *Beza* Francofurtum ad Comitiam profectus est, in quibus *Ferdinandus Romanorum Rex* Imperatoriam Majestatem accepit.

Cantus  
eccles.      XXIV Aprilis. Coram frequenti Diacensiorum Senatu obtinuimus, ut diebus Dominicis, post secundum pulsum, Psalmi canantur, cum prius non nisi cum Catechismus

Leſtio in-  
ter Cœ-  
nam S. mus haberetur, cantati fuerint. Item,  
ut inter actionem Cœnæ Dominicæ  
textus ex Evangelio Joannis de Verbis  
Domini in Cœna habitis, legatur.

Mense Auguſto Cometa viſus eſt inter occa-  
ſum & ſeptentrionem, poſt occaſum ſolis, per  
aliquot dies. Secuta ſunt inter anni ſpatium fu-  
nera Caroli V Imperatoris, qui obiit mense Sep-  
tembri poſtea. Mariæ & Leonoræ ſororum ejus,  
Regis Daniæ, Otthonis Palatini Electoris, Hen-  
rici Galliarum Regis, Mariæ Reginæ Angliæ &  
aliorum.

#### Historia Lauſanneniſis.

Erant Lauſannæ Miniſtri multis jam annis *Pet-  
rus Viretus*, *Jacobus Valorius*, *Arnulphus N.* Diaco-  
nus eorum. Profefſores ibi erant Theologiæ  
*Joannes Ribittus*, Linguae ſacræ *Joannes Merlinus*,  
Linguae græcæ *Theodorus Beza*, Artium *Joannes  
Tagaultinus*, Clafſium primarius erat *Franciſcus Ge-  
raldus*, qui ſucceſſerat *Maturino Corderio*, jam  
propter ſenium rude donato: ſecundæ Clafſis  
Hypodidaſcalus erat *Petrus Pandorius*: tertiæ,  
*Claudius Molinæus*, & reliquis alii, Galli omnes,  
excepto Vireto. Habebant illi Scholam admo-  
dum celebrem & florentem. Pluresque Galli  
partim propter Eccleſiam, partim propter Scho-  
lam ſe illuc contulerant. Paſſi erant illi aliquo-  
ties paroxyſmos aliquot, utpote cum *Andrea  
Zebedæo*, qui prius artium fuerat profefſor, &  
aliis. Sed illo propter pacem remoto admodum  
fuere inter ſe pacati. Poſtea pacem illam tur-  
babat *Franciſcus de S. Paulo*, miniſter Viviaceniſis,  
qui non plane de Prædeſtinatione ſentiebat, ut  
ipſi: ſed compoſita eſt hæc Controverſia, & re-



dierunt cum ipso in gratiam, quamvis semper eum suspectum haberent. Invaluit postea dissen- sio de Prædestinatione per totam Sabaudiam: Disfidia de aliis doctrinam *Calvini*, aliis vero *Phi-* Prædesti- *lippi Melanchtonis*, aut moderationem nationis *Bullingeri* approbantibus. Res eo de- doctrina venit, ut in omnibus fere concioni- bus nihil nisi hæc materia, idque con- tentiosissime tractaretur; non mordebant modo, sed damnabant se mutuo Ministri. Hinc & ple- beii in omnibus consistoriis & cauponis de hac re disputare atque contendere cœperunt, ita ut ne- cesse esset Magistratum suam interponere autori- tatem. Habitis itaque Synodis seu Classium Conventibus mandatum est omnibus, ut de hac *sobrie & modeste*, atque cum ædificatione loqueren- tur, nihilque scriberent aut ederent, quod con- tentionem illam alere posset. Non tamen cessa- tum est. Edidit *Beza* tabulam & libellum simul de ea re. *Calvinus* interea aliquoties (ut adversa- ria pars melius reprimi posset) huc venit, petiit- que suæ doctrinæ approbationem a Senatu nostro & nobis, *quod tamen obtinere non potuit*. Nolui- mus nos in præjudicium aliorum arbitros & judi- ces hujus rei constituere, quamvis in essentia rei nobis cum illo non multum disconveniret: Ad- monuimus vero illum quoque modestiæ & tan- quam fratrem tractavimus. Accessit deinde nova contendendi materia de descensu Christi ad infe- ros, ex expositione *Calvini* super locum Hebr. V. quod Christus cum clamore valido & lacrymis obtulerit preces Deo Patri & exauditus sit *pro re- verentia*. Quod *Calvinus* transtulit: *Præ metu*. Ibi alii translationem & expositionem *Calvini* damna-

damnabant. Lausannenses cum tota sua Classe in his omnibus erant concordēs, & strenue partes Calvinī in omnibus tuebantur, & ut adversarios reprimere possent, urgebant Senatum nostrum, ut liceret Synodum generalem colligere, ibique lites has dirimere, petebant etiam excommunicationem sibi concedi. Senatus metuens præjudiciū aliarum Ecclesiarum voluit ut potius juxta prius mandatum quiescerent. Sopitis itaque aliquantum contentionibus Lausannenses in hoc unum incumbere cœperunt, ut obtinerent disciplinam Ecclesiasticam seu excommunicationem. Agebant hoc idem in aliis classibus omnes quotquot ab illorum partibus stabant, sperabantque fore, ut hac illis concessa reprimi & excommunicari quoque possent, qui vel de Prædestinatione, vel in aliis dogmatibus diversum ab ipsis sentirent: Senatus considerans nostrarum Ecclesiarum statum, & quod vix illis concedi posset, quod non sic quoque institueretur in Germanicis Ecclesiis, & videretur quam periculosum futurum hoc introducere, quod ab initio Reformationis non esset usurpatum, & quod ipsi quærerent imprimis se mutuo excommunicare & devorare, cum magno Ecclesiæ offendiculo, cedere: Illi rursus per frequentes legationes non cessarunt idem urgere. Concessit tandem Senatus, ut quod in Germanicis habebatur Ecclesiis ipsis quoque daretur, nempe ut singulæ Parochiæ suos haberent seniores, & consistoria ordinata, hoc est, deligerentur quatuor vel sex de tota Ecclesia, senio & autoritate præpollentes, qui una cum Ministro Disciplinæ Ecclesiasticæ essent Custodes, vocarent imperitos, & eos qui præter decorum

viverent, monerent, arguerent, examinarent, illisque qui viderentur indigni communione Sacramentorum, si ita videretur, suaderent, ut ad tempus abstinere, donec vel melius erudirentur, vel vitam rectius instituerent; omnimodam tamen interdictionem aut prohibitionem concedere noluit, sed post admonitionem factam uniuscujusque conscientiae liberum relinquere vel accedere, vel non accedere. Ne quis tamen temere ea libertate abuti posset, constituit simul Senatus Amplissimus, ut, si quibus consulissent abstinere a Cœna, illi vero nihilominus accederent, ut tanto diligentius eos observarent, & siquidem deprehendant illos ad ingenium redire, Senatui hujus Urbis per literas indicetur, tum Senatum ita in eos animadvertendum, ut deinceps ipsi & alii discant, bonis consiliis parere. His impetratis & concessis, sperabatur, eos futuros contentos: Sed tantum abfuit, ut hac concessione illis satisfaceret, ut nunquam magis quam tum conqueri & instare cœperint, ut libera disciplina illis concederetur. Scribebant graves & perplexas ea de re ad Senatum admonitiones. Senatus nobiscum ea contulit. Visum est tandem quærere ab ipsis, quam formam tandem Disciplinæ peterent. Ibi illi inconsultis nobis, inconsultis etiam aliis Classibus Lausannæ confidentes libellum composuere prolixum de forma & modo disciplinæ: ibi non tantum de Excommunicatione tractabatur, sed de nova & generali Ecclesiæ hierarchia, de abrogatione veterum Consistoriorum, de separandis potestatibus, Ecclesiastica & Civili, ut nova quasi opus fuisset reformatione, si ea quæ ipsi petebant, in effectum perduci debuissent. Senatus cognos-

cens

cens hæc considerans novum periculum, & imprimis quod Papatus principio non alia ratione creviffet, facileque olfaciens quanta subeffet tyrannis, indignatus, omnes quotquot erant Laufannæ vel Miniſtri vel Profefſores, ut huc venirent, evocantur. Venerunt menſe Auguſto. Senatus frequens cum illis multis egit, rogans & ſupplicans, ut conſiderarent præſentium rerum ſtatum, conſeſſaque diſciplina & forma Eccleſiaſtica eſſent contenti, nec novas & inutiles turbas moverent, promptos eſſe ipſos juvare illos, & aſſeſſe eis in omnibus, ut communis pietas & diſciplina conſervaretur. Ægre tandem illis perſuaſum, ut Senatui concederent, ſicque cum pace dimiſſi ſunt. BEZA ſub hæc, ſeu ſubolfaciens quod futurum eſſet, ſeu aliis quoque rationibus ductus, quoniam illius exiſtimationi nimis humilis & anguſta videbatur futura Laufanna, Senatusque noſtri autoritas iſtum cohibitura, quo minus illi liceret, quoties liberet ad Comitiam, ad Principes Germaniæ (quod aliquoties fecerat) proficiſci, paucis poſt diebus huc reverſus veniam a Senatu alio proficiſcendi petiit, promittens, ſe privatim Genevæ victurum, otioque literario traditurum: Venia illi conſeſſa eſt. Ille eo profectus mox Profeſſionem Theologiæ, & paullo poſt miniſterium quoque Eccleſiaſticum ſuſcepit. Senatus prævidens futurum, ut Bezam tandem reliqui quoque ſequerentur, de profeſſoribus cœpit cogitare Germanis, miſſusque D. *Martinus*, Marpurgum, Argentinam, Auguſtam, conquiſitum viros doctos: Invenit aliquos, & imprimis D. *Andream HYPERIUM*, clariffimum Theologum, qui in vocationem conſenſit. Sed cum Senatus

noster ad Landgravium scriberet, noluit eum dimittere. Appropinquavit interea Natalis Domini celebritas, in qua pro ritu Ecclesiarum nostrarum dispensanda fuit Cœna Domini. Scribit itaque VIRETUS una cum collegis ad Senatum, non posse se bona conscientia Cœnam ministrare, petit igitur aut dimissionem, aut disciplinæ liberum usum. Senatus eum iterum evocat. Non potest ipse venire, morbum pedum caussatus. Mittunt pro illo legationes Senatus Laufannensis & Classis quoque eadem. Impetrant illi a Senatu talia, ut cum gaudio hinc discederent, ample sibi satisfactum esse prædicantes. Classis legati erant *Joannes de Tornaco & Augustinus Marloratus*, *Viviacensis*. Laufannam cum venissent pridie celebratæ Natalitiæ videbatur Vireto quoque satisfactum. Sed quoniam eo die exequi non posset, quod a Senatu erat concessum, visum est illi, Cœnæ exhibitionem differre in Calendas usque Januarias. Actum est ea de re Laufannæ in Senatu, non sine magna contentione in multam usque noctem, quæ præcedebat festum Natalis Domini: *Vireto* nemo potuit persuadere, ut eo die exhibere vellet. Denuntiavit itaque pro suggestu, Cœnam in octiduum usque differendam. Valde his rebus offensus est populus. Et præfectus Laufannensis mox rem omnem, ut acta erat, ad Senatum perscribit. Senatus indignatus cum nullus finis appareret hujus morositatis, & quod ausi fuissent communem morem omnium Ecclesiarum nostrarum privata autoritate confringere, adhibitis Diacosis depositionem a Ministerio *Vireto* Collegisque ejus decrevit, legationemque amplissimam ordinavit (cui etiam ego adscrip-

scriptus eram, sed quoniam mea præsentia non videbatur ædificabilis esse, apud Senatum eam deprecatus sum) quæ Lausannam proficisceretur, & convocatis omnibus totius illius Classis Ministris una cum illis alios in depositorum locum eligeret. Additum est etiam in illo consilio, ut quicumque ex classe alios, eligere detrectarent, incarcerati detinerentur, donec Magistratus de illis statueret. Decretum hoc sub finem hujus anni. Principio vero anni sequentis Legati Lausannam profecti, *Vireto* & collegis depositionem denunciarunt. Convocatis dein Classis Ministris, ut alios eligerent, hortati sunt. Cum vero nullus illorum alios eligere vellet aut auderet, juxta Diacosiorum decretum omnes pariter in castro Lausannensi inclusi detenti sunt per triduum, donec a Senatu responsum accipiebatur. Decrevit Senatus iterum eos dimittendos ea conditione, ut vocati a Senatu sub bona fide comparerent. Legati itaque re infecta (constitutis tamen aliquibus, qui interea dum constitueretur aliquid, ibi concionarentur) domum reversi sunt. Postea mense Februario anni sequentis ex tota Classe Lausannensi ad unum omnes huc vocati sunt, & triduo toto cum illis actum est severiter & humaniter. Summa fuit, ut responderent, qui reformationi Principum stare vellent, nec ne: segregarunt itaque se primo illi, qui erant indigenæ, & promiserunt, se Principibus parituros: postea quidam quoque alii. Reliqui, qui omnes Galli erant, nequaquam consentire, sed proscriptionem potius suscipere voverunt, quam reformationem usurpatam. Quotquot igitur illorum erant ministri, cum jurejurando

do proscripti sunt. Professoribus tantum juramentum est remissum, cum ad illos hæc causa minus pertinere videretur. Promiserunt etiam illi, se ad diem usque Pentecostes lectiones suas prosecuturos. *Viretus* interea denuo a Senatu huc vocatus est, sperabatur enim adhuc fieri posse, ut ad consensum induci possit, suæque Ecclesiæ restitui, si fieret hoc, videbatur sua autoritate reliquos quoque omnes retenturus. Sed is acceptis his literis, & Gallis quibusdam in consilium adhibitis verebatur ne ad hoc vocaretur, ut si consentire nollet, in carcerem conjiceretur. *Genevæ* nulla accepta venia una cum Collegis per fugit. Quo contemptu Senatus adhuc magis offensus proscriptionem illi decrevit. His ita transactis, cum tot Ecclesiæ suis essent spoliatae Ministris & Schola quoque lapsura videretur propter abitum Professorum, ut hoc curaretur aliquo modo placuit Senatui Legationem mittere *Morgias*, illucque ex singulis reliquis Classibus vocare duos præcellentioris autoritatis viros, & una cum illis eligere alios in locum eorum qui discesserant. Missi sumus illuc *D. Musculus*, *D. Benedictus Martinus*, & ego cum *D. Quæstore Steigero*. Illuc ubi ventum, electi sunt pro Ecclesia *Lausannensi* Pastores *D. Ricardus de Sylva*, *Paternensis*, & *D. Joannes de Posco*, *Tononiensis*, in Diaconum vero electus est *D. Jacobus Angelus* qui modo ex *Geneva* venerat. Pro aliis vero Ecclesiis, alii. Pro Schola vero *Lausannensi* non idonei inventi sunt Professores. Tantum *D. Beatus Comes*, vir eruditus & magnæ autoritatis, cum operam suam non denegaret, constitutus est Rector Scholæ. Tandem cum *D. Hyperius* vocatus non veniret, placuit

cuit ex nostris, h. e. ex Germanis deligere Professores. Itaque D. *Adrianus Blaumerus*, Minister in Spiez, electus est in Theologiæ Professore. Sicque Schola & Ecclesia post tantum paroxysmum in integrum restituta est. Affirmant enim ultra mille homines ex Lausanna Genevam migrasse, qui omnes putabant, ipsum Verbum Domini, ipsum Evangelium & Ecclesiam esse ejectam, cum tamen postea rem rectius perpenderent, pœnituit eos temerarii consilii.

Anno 1559.

Mense Majo tria quædam mirabilia contigerunt. Primum Lucernæ, alterum vero Basileæ, tertium Zoffingæ. Lucernæ summæ dignitatis consul erat, *Hugo Ritterus* nomine, homo prædives, qui intra paucos annos ad summas simul opes & dignitates excreverat: Hostis tamen erat veritatis summus. Constituit is ædes extruere magnificentissimas, & tales jam cœperat, ut si absolvère potuisset, non videbantur per totam Helvetiam, imo bonam partem Germaniæ tales alteræ inveniri posse: Ad id operis conduxerat Tridentinum quendam, insignem artificem, lapicidam. Erat vero ille Evangelicus & Papismi hostis, & antequam suam operam Rittero condicere vellet, religionis sibi libertatem præservavit. Cum itaque multo tempore illi fideliter servivisset, tandem cum rationes essent subducendæ, & illis non satis bene conveniret, factum ut ille Lutheranismum objiceret. Ille etiam confessus est coram Senatu & cum acrius aliquantum esset locutus in carcerem conjectus est. Ibi cum

con-



confessionem suam relinquere nollet, tandem malevolorum quorundam opera ad supplicium gladii adjudicatus est. Cum vero ad supplicium educeretur, professus est eum, qui hujus suæ necis autor sit, intra paucos dies se secuturum, & iudicium suum laturum esse. Factum vero ut tertio post die Ritterus ille obiret. Inde fama orta totam Helvetiam implevit. Nemo tandem fuit, qui a pertinacia sua exemplo hoc motus quicquam remittere vellet.

Fanatici homines. Basileam vero ante aliquot annos concefferant Hollandi quidam, quorum primarius erat GEORGIUS DAVID, hæresiarcha, quem tertium Davidem appellabant. Simulabant illi, se propter Evangelium patriam relinquere coactos, & ut pietatem veram profiteri possent, sedes ibi quærebant. Obtinuerunt itaque a Magistratu Basiliensi, ut locus illis esset ibi. Illi vero ut erant pecuniosi (subministrantibus illis sectæ suæ fautoribus, & præsertim Davidi tanquam capiti hæreseos & Mahometo ipsorum, maximas opes) liberalitate & profusione mox sibi maximum favorem apud infimos & potentiores conciliabant. Emerunt item Castrum quoddam cum prædiis adjacentibus non procul ab urbe, ut ibi liberius res suas agere possent. Intera se accommodabant omnibus. Accedebant conciones sacras frequenter, Sacramentis item participabant. Ministros ad se non raro invitabant, familiariterque ipsis & Senatoribus quoque utebantur. Sparsus est interea rumor de ipsorum hæresi, & admoniti sunt a multis præsertim Ministri Basilienses, ut illos caverent.

Sed

Sed ipsi ita oculos omnium perarinxerant, ut vix crederetur ipsos tales quales esse prædicabantur. Factum etiam ut conjugii necessitatem cum Tribunis quibusdam Basiliensibus contraherent. Quæ ratione non parum res suas firmaverant. Hæresis autem illorum fuit nefaria, sacrilega, & super omnem modum detestanda, sicut postea comparuit. Tenebant enim Spiritum Sanctum prorsus in hunc Davidem effusum esse, illumque recuperaturum & reformaturum omnia in optimum statum. Inter alia se immortalem esse, & perpetuo victurum esse suis persuadebat. Factum vero, ut aliquot post annis moreretur, hinc quidam etiam ex complicibus suis rem suspectam habere cœperant. Sepultus tamen honorifice fuit, & ut fore prædixit, se post aliquot annos resurrecturum, id quod factum est, sed non eo, quo ipsi putabant modo. Nam biennio forte post ejus obitum, quod tempus incidit in hujus anni vernum tempus, Senatus Basiliensis aliunde indicata eorum, qui adhuc supererant hæresi, eos ex improvise in Curiam vocavit omnes, proposuitque illis, quæ de ipsis ferrentur. Illi negarunt omnia. Sic vinculis traditi sunt, etiam illico missi, qui in illorum habitaculis omnia evolverent scripta, & colligerent ea, quæ hanc hæresin sapere viderentur. Inveniuntur libri & codices a Davide conscripti lingua Batavica, & alia multa. Ex quibus cognita sunt hæreseos ipsorum fundamenta. Itaque quoque mulieres carceribus traditæ sunt. Actum est cum illis humaniter, & effectum, ut omnes hæresin abjurare vellent, suumque errorem confiterentur, gratiamque peterent. Constitutum quoque ut ipsi omnes coram  
fre-

frequenti Ecclesia errorem suum confiterentur & abjurarent, Ecclesiæque satisfacerent sicque in gratiam reciperentur. Factum est hoc cum magna solennitate, sicut in actis vulgatis copiose describitur. Cadaver vero hæresiarchæ *Georgii Davidis* e sepulchro denuo effossum, carnificique traditum XIII mensis Maji hujus 1559 anni publice combustum est.

Immanis cæ-  
des uxoris.      *Zoffingæ* vero quidam juvenis *Daniel Læber* uxorem ante aliquot annos duxerat, cum qua illi non satis bene conveniebat, ita ut ad consistorium non raro vocarentur: erat & ipsa non bene satis constitutæ mentis, fortassis ex injuriis, quas ab illo perpetiebatur. Accidit tandem tertia hujus mensis, ut cum solus cum ea domi esset inclusam in cubiculum trucidaret, corpusque in frustra concideret. Frustra ea aqua lavabat, & a sanguine mundabat, postea sacco imposita apportare conabatur, sanguinem etiam profusum linteis & aqua extergebat, ne aliqua comparerent vestigia. Dum vero hæc agit, res vicinis suspecta esse cœpit, & antequam aufugere posset, comprehensus & XVIII ejusdem mensis rotæ supplicio affectus est. Sunt horrendæ illæ res, quæ sine dubio gravia mala portendunt, quæ utinam pœnitentia avertamus.

Vindicta  
divina.      Ultima Junii *Henrichus Galliarum* Rex, cum in nuptiis sororis suæ cum Duce Sabaudiaë torneamenti petulantius decertaret, a quodam suorum nobilium, mirabili fato & Divina providentia fracta lancea, cuspidibus ex fractura lanceæ per galeæ foramina

in oculum & cranium usque protrusis ita læsus, vulneratus est, ut intra paucos dies ex vulnere putrefacto cerebro cum maximis doloribus, qui illum ad insaniam adegerant, vita decesserit. Hic erat oculus iste, quo delectatus fuerat conspiciere supplicia fidelium.

XXX Octobris D. *Wilhelmus Clebitius* Brandenburgensis propter rem Sacramentariam Heidelbergæ una cum Doctore *Tilemanno Heshusio*, antagonista suo, ministerio privatus, hic apud nos erat, literasque a Senatu nostro pro restitutione ejus ad Comitem Palatinum Electorem, viaticumque trium coronatorum impetravit.

Annus 1560.

Mense Januario *Martinus Odetus*, Senator Friburgensis, filium mihi commiserat, Petrum nomine. Hoc cum cognitum fuit Friburgi coactus est filium hinc revocare intra XIV dies, quibus solis mecum fuit. Verebantur enim ne hæresi Lutherana, quam nobis impingunt, inficeretur.

Cum domus ad albas Sorores (ex antiquo eorum habitu, quem in Papatu gestaverant sic vocata) per mortem postremæ ex illis vacaret, nos qui huic Ecclesiæ ministri eramus, consilio Consulium & aliorum habito a Senatu petivimus, domum hanc nobis, nostrisque uxoribus, & liberis, & posterorum etiam qui post nos hic ministrarent, usui destinari, ut si quando contingat nos obire, habeant illæ in promptu habitationem & reditus, unde illis necessaria, quousque Senatui visum fuerit & necessitas postularit, suppeditari possent. Esse enim nobis

exigua stipendia, domus nullas, liberos multos. Perorabat pro nobis D. Cos. *Nægelinus*. Responsum per D. Cos. *Wattenwilium*, Senatum precibus nostris annuisse domumque hanc huic usui servandam decretum esse. Factum hoc XXIX Januarii anni præsentis.

Mense Martio cum lis domestica esset inter *Jacobum Falkium*, futorem Suarzenburgensem (qui aliquando in ministerio fuerat, sed propter adulterium depositus ad artem futuriam, quam & ante adeptum ministerium exercuit, redierat) & uxorem ejus, filiam D. *Martini Ruffi*, Ablingensis Ecclesiæ Pastoris, inter alia prolatum est, ipsum codicem quendam Biblicum cultello scriptorio dilaniasse, & igne postea cremasse, additis indignis & horrendis blasphemis contra illum librum. Ille discissum a se librum & crematum quoque esse negare non potuit, negavit tamen verba illa contumeliosa & blasphema, & scissionis quoque hanc esse causam, quod exemplar non fuerit integrum, sed multis foliis destitutum, codicem etiam fuisse veterem & inutilem amplius. Res criminalis æstimata a Consistorio ad Senatum remissa est: Ipse in vincula coniectus, & per torturas de blasphemis quæsitus, nullas tamen confiteri voluit, sed in prima excusatione perdurans tandem dimissus est. Uxor profugit, nusquam amplius apparens. Factum hoc circa XIII diem Martii.

XXII Martii per Turingum Ruostium nostratem Heidelbergæ literis operam dantem, & hujus rei gratia huc missum, D. *Wolfgangus Musculus* a Senatu Ecclesiastico Principis Electoris Pala-

Palatini, Heidelbergam ad Theologiæ professionem vocabatur; sed ipse ratione senii sui & aliarum circumstantiarum eo proficisci, eamque provinciam suscipere recusavit.

Laus gen-  
tis Watten-  
wylorum.      XXII Maji D. Cos. *Jo. Jacobus a Wattenwyl* obiit: Erat hic vir admirabilis prudentiæ. Genitus erat patre Consule *Jacobo a Wattenwyl*. Fratres habuit D. *Nicolaum* & *Reinhardum a Wattenwyl*, qui ambo ante illum obierunt. **NICO-LAUS** præpositus fuerat hujus Ecclesiastici Collegii tempore Papatus, vir in foro Romano diu versatus & mirabiliter exercitatus: Ingruente Evangelio veritatem cito agnovit, ejusque hic recipiendæ non postremus autor fuit, præsertim inter nobiles, qui ab ejus autoritate plurimum pendebant. *Reinhardus* prætor Tunensis, & ibi tandem quoque obiit. Hic vero *Jo. Jacobus* in juventute sua Ducis Sabaudiaë & Galliarum Regis aulam secutus, & nobilitatem adeptus anno postea ætatis XXIX Cos. hujus Urbis factus, ita Rempublicam administravit, ut propter prudentiam & fortitudinem, atque admirabilem in utraque Gallica & Germanica lingua eloquentiam amicis & notis omnibus gratus & amabilis, hostibus vero & invidis (quorum non paucos habebat) formidabilis valde esset. Visa fuit cum illo bona pars Reipublicæ cadere, præsertim cum in hisce motibus præsentibus obiret. Filios reliquit *Gerhardum*, *Jacobum*, *Nicolaum*. Ex quibus *Gerhardus* diu aulam Cæsaris Caroli V, & postea filii quoque ejus Philippi Hispaniarum Regis secutus, & equitis aurati dignitatem adeptus

tus est. Erat in Hispania cum Pater obiret, & mors ejus illi per publicum cursorem Tolosam usque Hispaniæ nunciata est. Ita obitu hujus Cos. consulatus ad unum D. *Jo. Franciscum Nagelinum* devolutus est, ut hoc anno Berna (quod vix prius unquam factum est) nullum veterem haberet consulem.

Calendis Junii, quæ erat Vigilia Pentecostes, venerunt huc quidam Poloni Nobiles, afferentes nobis a D. *Francisco Lysmannino* & aliis ex Polonia literas & scripta quædam contra *Franciscum Stancarum*, Mantuanum, Ecclesias Polonicas novo dogmate turbantem. Petebant illi nostrum calculum. Asserebat *Stancarus* contra *Philippum Melanctonem*, quem acerbissime proscindebat, Christum tantum quoad Divinam naturam esse Mediatorem nostrum & invocandum, sicut scriptum ejus editum testatur. Responsum est illis a Genevatibus & Tigurinis.

V Junii incarceratus est *Andreas Ursinus*, Obermilensis minister, eo quod cum socero suo D. Petro, Ministro Walkringensi contendens, inter alia convitia, cum esset impotentioris animi & linguæ, hoc quoque turpissimum dictum effudit: Recipe filiam tuam (loquebatur autem de uxore sua) & tu ipse subagita eam. Causa visa est capitalis, ideoque a Consistorio ad Senatum remissa. Sed Senatores, quorum tamen pauci aderant, quorundam intercedentium precibus permoti, aliquot saltem dierum captivitate contenti eum dimiserunt. Indignum hoc visum nobis & multis, præsertim Tunensis Classis ministris, quod in ministerio relictus esset.

Hac

Hac septimana hic fuit D. Habsburgius, Marchionis Badensis præfectus, privignam suam Erlachio juveni desponsatam huc adducens. Is licet vir militaris, eruditus tamen valde & reformationis Badensis Marchionatus præcipuus autor, me ad colloquium evocavit. In quo multis mecum de concordia Ecclesiarum Evangelicarum & tollenda Sacramentaria contentione egit. Rem ipsam non male intelligens, in verbis tantum hæerere nimium videbatur.

Cum hoc tempore motus aliquis esset apud Valesios propter religionem, VII Papistici Cantones, Lucerna scilicet, Uri, Swiz, Underwalden, Zug, Friburg, Solothurn, missis Legatis conati sunt veritatem impedire, & cum quibusdam Communitatibus supremæ Decuriæ (sicut eorum regio in Decimas seu Decurias divisa) sine consiliis procerum regionis (quos vocant *den Landtracht*) agere cœperunt. Quod proceres illi indigne ferentes non sine indignatione eos dimiserunt. Interea nostri missa quoque Legatione ad Episcopum & consilium procerum humanitate sua & pacis studio, summam apud eos inierunt gratiam. Miserunt quoque Tigurini & Schaphusiani suos Legatos, sed cum illi huc venirent, nostri re omni composita jam redibant. Itaque non ulterius procedentes & ipsi re omni cognita reversi sunt ad suos.

XI Augusti Joannes *Infanger*, qui apud Subylvanos natus, postea monachus in Heremo Helvetiorum factus, inde parochiæ *Sarmenstorff* præfectus, tandem relicto Papatu huc concesserat, & post Brengartensis Ecclesiæ curam Lon-



peruilæ pastor constitutus est, hoc die in carcerem repositus est per triduum ibi mansurus, eo quod inter pocula contra Tigurinum quendam gloriatus fuisset de victoria Subsylvanorum contra ipsos, parumque aberat, quin ob importunam illam insultationem prorsus officio motus fuisset.

XVIII Novembris dies erat constituta conventus Neocomi cum Duce Sabaudia. Missa est amplissima Legatio. Dux duos illuc misit Legatos, Nobilem quendam & Jurisconsultum. Illuc ubi ventum est, Ducis Legati omnimodam postulaverant totius regionis, quæ prius ad ipsum pertinuerat, restitutionem, una cum restitutione bonorum & ornatum Ecclesiarum, sumtum item & reddituum toto hoc tempore receptorum, quo a nostris occupata fuit regio, & quid non amplius. Nostri insperatam hanc audientes postulationem, de qua non alea sed jure decidendum fuisset, ut poterat, cum tamen huc illos nonnisi ad amicam transactionem evocasset, nihil in præsentiarum responderunt, nisi cum ipsi nullius alterius transactionis potestatem habeant, se nihil respondere posse, sed relatores omnia ad Friburgenses & Valesianos, qui & ipsi partes hujus regionis teneant, & deinde communiter responsuros ad alium diem, qui indictus est ad X Februarii anni sequentis, & sic amice discessum.

XVIII Decembris hora integra ante consuetum solis exortum & auroram illucescentem mirabile meteoron visum est per totam Helvetiam, & in aliis quoque locis, visum enim est  
ardere

ardere cœlum inter septentrionem & ortum, ita ut passim fere per totam Helvetiam quælibet vicina loca existimarint ardere. Itaque magnæ fuerunt passim commotiones & discursiones, sed nihil inventum, nisi ingens καύμα. Hoc etiam non possum præterire, quod eadem nocte qua cœlum ita rubere visum est, Tigurini templi turris altera, super quam vigiles agunt, ita est concussa & tremefacta, ut rotulæ vitreæ ex fenestris deciderent, & vigiles præ metu descendere coacti sint. Hæc habeo ex fratre meo, qui vigiles ipsi, viri probi, talia narrarunt.

Anno 1561.

XX Januarii Naumburgi in Thuringia seu Misnia convenere Germani Principes, Elector Palatinus, Elector Saxoniae, Dux Saxoniae, Winmariensis & Wolfgangus Bipontinus, Dux Ulrichus Mechelburgensis, Dux Wirtembergensis, Landgravius Hassiæ, Carolus Marchio Brandeburgensis, Legatos miserunt Georgius Palatinus, Elector Brandeburgensis, Joannes Marchio Brandeburgensis, Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis, Joannes Albertus Dux Mechelburgensis, Duces Pomeraniæ, Duces Holsatiæ Adolphus & Joannes Dux a Luneburg, Principes Anhaltini, Daniæ Rex literas misit. Inter eos multum & serio actum, qua ratione a se suspensiones famamque discordiarum circa religionis professionem amolirentur, eaque in re admodum diu sudatum est tergiversantibus nonnihil, & sua quædam objicientibus, hinc Palatino Electore & Hesso, illinc vero Saxonibus, donec communi tandem sententia Confessionem Augu-

stanam receperunt, novaque subscriptione professi sunt, quam præfationem etiam omnium Principum nomine denuo vulgandam decreverunt. Prius tum eam ad Reginam Angliæ, quæ & ipsa testata fuerat suum favorem erga ipsos, & Scotiam, tum ad Regem Navarræ libuit transmittere. Urserunt interim quidam diversa sententiarum, quos vocant, fanaticorum condemnationem, maxime vero Joannes Friderichus Saxo, sed non obtinuit, qui solus fertur cum indignatione discessisse, reliquis omnibus egregie tranquillis & placatis.

In eodem conventu Papa per Legatum suum eos ad Concilium Tridentinum jam pridem inchoatum evocavit. Cui hoc responsum dederunt. Illustrissimi Sacri Romani Imperii Electores, Principes Illustrissimorum Electorum, & Principum Legati ac Consilarii, ad orationem vestram, qua Pontificis Romani mandata Celatitudinibus, Gratiis & Humanitatibus ipsorum exposuistis, hoc responsum vobis dari jusserunt. Non dubitare se quin multi omnium ætatum & gentium toto orbe terrarum viri docti, sapientes & pii jamdudum meliorem Ecclesiæ statum optarint, & nunc quoque anxia ad Deum vota faciant, ut tandem doctrinæ puritas restituatur, & multi tetri in Ecclesiam inveci abusus, pia emendatione tollantur. Quod ipsum Pontificibus Romanis in sua jurisdictione præcipuæ curæ esse debebat, qui Ecclesiæ titulum longo annorum spatio magnifice sibi arrogarunt. Verum quibus ipsi potissimum rebus semper occupati fuerint, nimirum dominandi cupiditate, regnisque commutandis, & superstitionibus in  
Eccle-

Ecclesia cumulandis magis, quam illustranda gloria Dei, sanandisque Ecclesiæ morbis, obscurum bonis omnibus non est: Et multos Pontificio nomini addictos viros sapientes fateri necesse est. Mirantur autem Illustrissimi Electores & Principes, reliquorumque Legati, qua vel opinione persuasus vel spe fretus Pontifex Pius IV. missa legatione Celsitudinibus suis consilii indictionem obtrudere, eosque Tridentum vocare ausus sit: Neque enim ipsum Pontificem, neque nos ignorare, quam religionem Status Augustanæ Confessionis amplectantur, quibusque de causis Ecclesias suas juxta synceram Evangelii doctrinam repurgare, & se ab eo cœtu, qui oppressa doctrinæ cœlestis veritate, suam potius quam Christi gloriam quærit, sejungere coacti sint. Sic igitur Pontificem & nos Illustrissimi Principes statuere volunt, non agnoscere se Romanæ sedis auctoritatem, certoque Celsitudinibus suis Divini ac humani Juris indubitatis testimoniis persuasum esse, Concilii indicendi jus Pontificem Romanum non habere, judicis enim officio fungi & controversias dirimere eum, a quo dissensiones & distractiones in Ecclesia ortæ sunt, quique manifestam crudeliter veritatem oppugnat, & dicitur ratio & Divina scripta iniquum esse testantur. Injuste etiam oratione vestra sese taxari Illustrissimi Principes affirmant, quod nullam fidei certitudinem habeant, sed tot nunc sint Evangelia, quot Doctores, & tot religiones, quot voluntates: Extat enim non solum de omnibus fidei articulis perspicua ipsorum Confessio Imperatori Carolo V Augustæ exhibita A. 1530. verum etiam variis hactenus

editis scriptis cœlestis doctrinæ veritas illustrata & propagata est. Quibus autem erroribus Pontificis Ecclesia imbuta, quamque tetrus abusus & superstitionibus vera Evangelii doctrina oppressa sit, ut Ethnicæ potius quam Christianæ religioni similior esse videatur, universi Orbis terrarum querelæ satis testantur. Cumque non errore lapsi, nec temeritate, nec curiositate aut pravis cupiditatibus, sed severissimo Dei mandato, quo præcipitur idola fugienda esse, impulsus Germaniæ Principes a Romana Ecclesia discesserunt, constanter in ea sententia perseveraturi sunt, neque ullas sibi a Pontifice leges præscribi patientur. Nullius enim auctoritatem vel jurisdictionem quam Imperatoris agnoscunt. Quod vero ad vos attinet, ita vobis omnino ut persuadeatis Celsitudines ipsorum volunt, nisi Pontificiæ Legationis munus nunc quidem obiissetis, omnia Celsitudines ipsorum clementiæ ac benevolentiae studia & obsequia, vobis ex clarissimis Venetorum familiis ortis præstituras, tum quod erga amplissimam Venetorum Rempublicam animo affecti sunt benevolo, tum vero etiam quod vos ob generis nobilitatem, doctrinæque ac sapientiæ laudem favore suo dignos esse ipsi profitentur.

E X P L I C I T.

Differ-